

De Somno & Vigilia.

39

De causis somni lungi & brevis. Cap. XVII.

RE CIPIMVS omnes medici, caput ei esse humidum, aut humidum & frigidum, qui multum dormit: breuem autem somnum siccitatis cerebri, necessario esse indicium: quod quidem primum aduersatur principijs, quae de somno & vigilia, ab illis sunt posita. Nam si somnus omnis, praesertim qui secundam naturam est, fit a va- pore genito in partibus subiectis, necesse est, breuem, aut longum somnum nasci, ex multo, vel paucō, vel frigido vel calido, aut crasso vel tenui, aut alio modo affecto vapore, nihil ad id co- ferente capite, aut cerebro. Quod n. causa alicuius est sine differentia assumptū, idem cum suas differen- tias acceperit, alterius differentias pariet. Igitur si vapor est, qui somnum cōstituit, & facit, idem duntaxat, quū diuersus fuerit, differentias somni affert. Demus vni caput esse humidū, alteri siccum, & illi pau- cos vapores attolli, huic plurimos, crassos, & frigidos, nōne in hoc longus, in illo breuis somnus fiet? ita profecto sentiamus oportet, quoniam somni ex illorum opinione causa vniuersa mittitur à partibus subiectis: cerebrum verò vim duntaxat habet illam recipiendi, & mutandi: quod humor, aut siccitas, quae in cerebro sunt, non faciunt, sed frigiditas, cuius est vapores condensare, & in humorem mutare. Nam vt humor qui in capite est, non parit somnum, nec siccitas parit vigiliam, sed vniuersa causa materialis (vt illi aiunt) vaporis ascendentis tribuitur, & cerebri frigiditati: sic in dif- ferentij ipsius somni, ab alijs querendae non sunt cause. Nequeunt ergò illi ex suis principijs do- cere, qua ratione parum dormiant, qui sicco: multum verò qui humido sunt cerebro: & multo minus ostendere possunt, huiusmodi somni differentias sumere ex cerebri siccitate, & hu- miditate. Nam si somnus sit eo quod calor nativus deserat sensoria, erit profecto longi somni cau- sa, longa absentia ipsius caloris. Atqui diuersa sunt quae impedit calorem ipsum, ne citò ad sensoria redeat: si enim somnus sit, quia calor contrahatur ad concoctionem obcundam, oportet profecto, tamdiu durare somnum, quamdiu concoquitur alimentum. Erit ergò breuior somnus ijs, quibus valida est concoquendi vis, & nativus calor plurimus: quod experientia ipsa docet: nam corpora calida, & humida, breuioribus somnis post cibum sunt contenta, quoniam illa citò concoctionem expediunt. Frigida verò temperies, longiorem requirit somnum, quia illi deest calor, qui promptè concoquat: eodem pacto qui imbecilo sunt stomacho & hepate plus dormiunt: mi- nus verò, quibus illæ partes sunt validæ. In ieunio, aut post leuem, aut parcum cibum, somni sunt breues, longi verò in repletione, praesertim ex cibis, multis, crassis, vel alio modo ad concoctionem inepitis: pari ratione etiam, qui cruditatibus laborant, longos somnos faciunt, quounque modo cerebro affecto. Mulieres quoque plus dormiunt, quam viri, ob eandem causam, quod fri- gidius sit illarum corpus, & cibis vtantur multis, & ad concoctionem inepitis. Ergò ob mutationem concoctionis, calorem plus vel minus immorari, somnosque longiores, breuioresque fieri, ne- cessere est. Sunt & aliæ cause huius differentiae somni: nam quæ vehementius calidi substantiam dissolunt, longos conciliant somnos, breues verò, quæ leuius id faciunt. Vnde post longam uigiliam, aut longum, aut vehementem laborem, vel tristitiam, aut calorem & fletum, ut infantibus accidit, sequuntur longi somni: eget enim longa mora in uisceribus calor, ut post magnam con- sumptionem ita augeatur, vt ad sensoria prodire possit. Post cibum autem, vel potionem frigidam, multum dormimus, propterea quod tempore opus est, ad discutiendam frigiditatem, quæ calidi exter nos motus impedit: quo fit, vt post liberalem aquæ potionem, aut lactucæ assumptionem, longus inuadat somnus. Pariunt longos somnos illa quoque, quæ viam vehementius impediunt calido innato: qualia sunt, quæ plurimos, & crassos vapores generant, aut humore replent ven- rum, & cerebri cavitates: aut quæ comprimento, aut densando easdem claudunt. Ac liberales vi- ni, praesertim crassi, & non admodum calidi potatores, plurimum dormiunt, nisi subsit multa pi- tuitæ copia: tunc enim aptius est, quod calidius est: propterea non mirum, si quidam ex vini po- tu, in morbum incident, alij verò vigilare coguntur: etenim generosum vinum in biliosis corpori- bus, acuit humores, & spiritus, atque ita calorem ad externa membra commouet: in pituitosis verò corporibus, vapores plurimos, & crassos attolit: quod verò aquosum, & frigidum est vinum, in biliosis somnum mouet, in pituitosis, cum nequeat ob materiae repugnantiam vapores gignere, nihil ad somnum facit. De hac quidem re problema est vigesimum quartum sectionis tertiae apud Aristotelem, quod mihi videtur multa habere rationi parum consentanea: querit enim in eo, quur vinolentis somnus oriri nequeat, quod imprimis est falsum: plurimos enim vinolentos somno coripi, & eo qui- dem longo, & profundo, quotidie cernimus. quare proponit disputandum quod verum non est. deinde dum rationem propositæ quæstionis afferre studet, multa pronunciat, quæ vt evidenter falsa, fa- cile refelli possunt: ait enim ad somnum creandum calidum adesse oportere humorum quippe cum hic expedite concoqui poscit. Si verò desit humor, aut exiguis est, vel cōcoctu difficultis, somnum non fieri, hac enim de causa post cibum aut potum somnolentissimos ob calorem homines reddi: me- lancholicos verò, & vehementer æstuantes insomnijs teneri, illos quia humor penitus est re-

Ioannis Argent. de Somno & Vigilia.

C 4 frigeratus,